



Index Librorvm Prohibitorvm Alexandri VII

Alexander

Romae, 1667

LIII. Sanctæ Inqvisitionis. Feria V. die 6. Octobris 1650.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-81440](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-81440)

nota dignus, Libros prædictos, aut aliquem ex illis apud se retineat, aut legat nec imprimere, aut imprimi curare audeat sub censuris & pœnis contra huiusmodi delinquentes statutis, sed statim à præsentis Decreti notitia, quicumque illos habuerit locorum Ordinarijs, seu Inquisitoribus consignare teneatur.

Io. Antonius Thomafius S. Rom. & Vniuers. Inquis. Not.

LIII.

SANCTÆ INQUISITIONIS.

Feria V. die 6. Octobris 1650.

In Congregatione Generali S. R. & Vniuersalis Inquisitionis habita in Palatio Apostolico Montis Quirinalis, coram Sanctiss. D. N. D. INNOCENTIO Diuina Præsentia Papa X. ac Eminentiss. & Reuerendiss. DD. S. R. E. Cardinalibus, in vniuersa Republica Christiana aduersus hæreticam prauitatem Inquisitoribus generalibus à sancta Sede Apostolica specialiter deputatis.

HOC anno 1650. editus est Libellus Gallico idiomate, cui titulus; *Catechisme de la grace*, sine nomine Auctoris, & absque Impressionis loco. Contra doctrinam in eo libello contentam, Libellus alter pariter idiomate Gallico impressus est, cui titulus, *Catechisme ou Abregé de Doctrine touchant la grace Diuine selon la Bulle de Pie V. Gregoire XIII. Urbain VIII. Antidote contre les erreurs du temps; Par un Docteur de la S. Theol. de Donay: A Donay Chez la Vefue Marc Wion. à l'enseigne du Phoenix 1650.* Cùmque in Opusculis prædictis materia Gratiæ Diuinæ & liberi Arbitrij, contineretur, præfatus Sanctiss. D. N. ne mentes fidelium ex eorum lectura periculo & scandalo exponerentur, per Theologos eiusdem Sacræ Congregationis Qualificatores ad hoc specialiter deputatos, Doctrinam in eis contentam examinari mandauit, eorumque Censura demum relata, & auditis votis Eminentissimorum & Reuerendissimorum DD. Cardinalium Generalium Inquisitorum, Libellum vtrumque, siue Gallico, siue alio idiomate excusum, prohibendum censuit, prout præsentis Decreto omnino prohibet. Primum siquidem, cui titulus, *Catechisme de la Grace*, quia in eo continentur quamplures sententiæ, aliàs per sel. record. Pium V. Gregor. XIII. & Urbanum VIII. damnatæ; Ambos verò, quia ex professo tractant materiam de Auxilijs, quam non licuit imprimere nisi prius obtenta à Sede Apostolica licentia iuxta Decreta piæ mem. Pauli V. & Urbani VIII. Et propterea eorum Auctores pœnis in prædictis Constitutionibus & Decretis Apostolicis contentis subiacent. Denique quia in forma, & sub nomine Catechismi vernacula Gallorum lingua vulgati sunt; cùm tamen materia in eis digesta superet captum vulgi, cui lac potum dari oportet, non esseam istam, quam glutire nō potest. Mandat propterea Sanctitas Sua, vt nemo cuiuscumque gradus & conditionis, existat, etiam speciali & specialissima nota dignus, Libellos prædictos aut aliquem ex illis apud se retineat aut legat, neue imprimere aut curare imprimi audeat, sub censuris & pœnis contra huiusmodi delinquentes statutis, sed statim à præsentis Decreti notitia, illos locorum Ordinarijs, vel Inquisitoribus consignet.

Io. Antonius Thomafius S. Romana, & Vniuersalis Inquisitionis Not.

Index Prohibit. Romanus.

SANCTÆ